



Praefatiuncula.

Quadriennium est, cum Dominus *Praefes* meus in Regia Pomeranorum Academia de operatione Diaboli in hoc Mundo, Respondente *Dn. Alberto Behrens*, contra *Balthasarem Beckerum* in genere disquireret, eamque multis probaret argumentis, aliquot scripturae dictis simul contra *Beckerum* vindicatis. Cum iam in aliqua vires meas periclitari debeam dissertatione, placuit hanc, quam Dominus *Praefes* pertexere cepit, telam, quanquam pro ingenii modulo, persequi, atque de operationibus Daemonis in specie, iisque, quae circa substantiarum productionem occupatae dicuntur, unicam quaestionem proponere, reliquis, quae alias adhuc adduci solent, futurae Dissertationi a Commilitone meo elaborandae, atque ventilandae reservatis. Fateor equidem, et heic mirum inueniri Eruditorum diuortium, aliis hanc, aliis aliam amplectentibus et defendentibus sententiam: At vero cum in arduis et voluisse sat sit, δύσκολα etiam τὰ καλὰ, ego eo facilius veniam a beneuolo lectore impetrauero, sic ubi non rem acu, quod dicunt, tetigero, quo magis, Diabolo ceu mille fraudum artifice mortales infinitis modis fallente, eruditissimi etiam heic, in quo sese excercuerint, inuenientes, non omnes su-